

CAPUT XV.

Quæ libamenta ingressis terram offerenda sint, ac primitiæ separandæ: pœna peccati per ignorantiam aut superbiam commissi: lapidatur qui Sabbato ligna collegit: fimbriæ ac vittæ ab Hebræis per quatuor angulos palliorum ponendæ, quæ moneant eos legis Dei.

1. **L**ocutus est Dominus ad Moysen, dicens:
 2. * Loquere ad filios Israël, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis Terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis,
 3. & feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus, sive de ovibus:
 4. offeret quicumque immolaverit victimam, sacrificium simile, decimam partem ephi conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin:
 5. & vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ dabit in holocaustum, sive in victimam. Per annos singulos,
 6. & arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin:
 7. & vinum ad libamentum tertiæ partis eiusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino.
 8. Quando verò de bobus feceris holocaustum, aut hostiam ut impleas votum, vel pacificas victimas,
 9. dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin:
 10. & vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino.
 11. Sic facies
 12. per singulos boves, & arietes, & agnos, & hædos.
 13. Tam indigenæ, quam peregrini
 14. eodem ritu offerent sacrificia.
 15. Unum præceptum erit atque iudicium tam vobis quam advenis terræ.
 16. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:
 17. Dixit quoque Dominus ad Moysen:
 18. Cum veneritis in terram, quam dabo vobis,
 19. & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino

* Que hic habentur & 4. seq. cap. videntur referenda ad stationem Cadesbarne, ubi multo tempore consedissee dicuntur. *Deut. 1. 46.* vel ad proximè sequentes stationes.

20. de cibis vestris. Sicut de areis primitias separatis,
21. ita & de pulmentis dabit primitiva Domino.
22. Quòd si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen,
23. & mandavit per eum ad vos, a die, quæ cœpit iubere & ultra,
24. oblitaque fuerit facere multitudi: offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, & sacrificium eius ac liba, ut ceremoniæ postulant, hircumque pro peccato:
 25. & rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israël: & dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus offerentes incensum Domino pro se & pro peccato, atque errore suo:
 26. & dimittetur universæ plebi filiorum Israël, & advenis, qui peregrinantur inter eos: quoniam culpa est omnium populi per ignorantiam.
 27. Quòd si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo:
 28. & deprecabitur pro ea sacerdos, quòd inscia peccaverit coram Domino: impetravitque ei veniam, & dimittetur illi.
 29. Tam indigenis, quam advenis una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantibus.
 30. Anima verò, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo:
 31. verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur, & portabit iniquitatem suam.
 32. Factum est autem, cum essent filij Israël in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati,
 33. obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & universæ multitudini.
 34. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent.
 35. Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.
 36. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus est sicut præceperat Dominus.
 37. Dixit quoque Dominus ad Moysen:
 38. Loquere filijs Israël, & dices ad eos: * ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas:
 39. quas

* *Deut. 22. 12. Matth. 23. 5.*

39. quas

39. quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes,
40. sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.
41. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra Ægypti, ut essem Deus vester.

CAPUT XVI.

Core, Dathan, & Abiron seditionem movent contra Moysen & Aaron, ambiuntque principatum & sacerdotium, unde eos vivos terra absorbet, & ignis interfecit 250. viros offerentes incensum; & alios 14700. murmurantes consumpsit incendium, quod oratione sua Aaron compescuit.

1. **E**cce autem Core filius Isaar, filij Caath, filij Levi, & Dathan, atque Abiron filij Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben,
 2. surrexerunt contra Moysen, alique filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore concilij per nomina vocabantur.
 3. * Cumque testissent adversum Moysen, & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini?
 4. Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem:
 5. locutusque ad Core & ad omnem multitudinem: Manè, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei.
 6. Hoc igitur facite: Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum:
 7. & hausto cras igne, ponite desuper thymiam coram Domino: & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multum erigimini filij Levi.
 8. Dixitque rursus ad Core: Audite filij Levi:
 9. Num parum vobis est quòd separavi vos Deus Israël ad omni populo, & iunxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei?
 10. idcirco ad se fecit accedere te &

* *Eccli. 45. 22. 1. Cor. 10. 10. Judæ 1. 12.*

- omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vendicetis,
11. & omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum?
 12. Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan, & Abiron filius Eliab. Qui responderunt: Non venimus.
 13. numquid parum est tibi quòd eduxisti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?
 14. Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum, & vinearum: an & oculos nostros vis eruere? non venimus.
 15. Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quòd ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.
 16. Dixitque ad Core: Tu, & omnis congregatio tua stete seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatin.
 17. Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum.
 18. Quòd cum fecissent, stantibus Moyses, & Aaron,
 19. & coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini.
 20. Locutusque Dominus ad Moysen, & Aaron, ait:
 21. Separamini de medio congregationis huius, ut eos repente disperdam.
 22. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua deserviet?
 23. Et ait Dominus ad Moysen:
 24. Præcipe universo populo ut separetur a tabernaculis Core & Dathan & Abiron.
 25. Surrexitque Moyses, & abiit ad Dathan & Abiron: & sequentibus eum senioribus Israël,
 26. dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.
 27. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan, & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus & liberis, omnique frequentia.

M 2

28. Et

28. Et ait Moyses: In hoc scietis quod Dominus miserit me ut facerem universa quae cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim:

29. Si consueta hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, qua & ceteri visitari solent, non misit me Dominus:

30. sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos & omnia quae ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis, quod blasphemaverint Dominum:

31. * Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum:

32. & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis & universa substantia eorum,

33. descenderuntque vivi in infernum operi humo, & perierunt de medio multitudinis.

34. At verò omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte & nos terra deglutiat.

35. Sed & ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.

36. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

37. Praecipue Eleazar filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula, quae iacent in incendio, & ignem huc illucque dispergat: quoniam sanctificata sunt

38. in mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, & affigat altari, eò quod oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint, ut cernant ea pro signo & monumento filij Israël.

39. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula aenea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, & produxit ea in laminas, affigens altari:

40. ut haberent postea filij Israël, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, & omnis congregatio eius, loquente Domino ad Moysen.

41. Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israël sequenti die contra Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini.

42. Cumque oriretur seditio, & tumultus incesceret,

43. Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum foederis. Quod, postquam in-

gressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.

44. Dixitque Dominus ad Moysen:

45. Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque iacerent in terra,

46. dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citad populum ut roges pro eis: * iam enim egressa est ira a Domino, & plaga desavit.

47. Quod cum fecisset Aaron, & currisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama:

48. & stans inter mortuos, ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.

49. Fuerunt autem, qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, & septingenti, absque his, qui perierant in seditione Core.

50. Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi foederis postquam quievit interitus.

CAPUT XVII.

Sumptis 12. virgis à duodecim tribuum principibus, sola Aaronis virga floruit, ac fructum produxit; hoc miraculo & iudicio Sacerdotum illi à Deo confirmatur; servatque est in tabernaculo testimonij.

1. **ET** locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Lóquere ad filios Israël, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & uniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ.

3. nomen autem Aaron erit in tribu Levi, & una virga cunctas seorsum familias continebit:

4. ponesque eas in tabernaculo foederis coram testimonio, ubi loquar ad te.

5. quem ex his elegero, germinabit virga eius: & cohibebo a me querimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant.

6. Locutusque est Moyses ad filios Israël: & dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron.

7. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij,

8. sequenti die regressus invenit geminas-

nasse virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt:

9. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël: videruntque & receperunt singuli virgas suas.

10. Dixitque Dominus ad Moysen: Reser virgam Aaron in tabernaculum testimonij, * ut servetur ibi in signum rebellionum filiorum Israël, & quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur:

11. Fecitque Moyses sicut præceperat Dominus.

12. Dixerunt autem filij Israël ad Moysen: Ecce consumpti sumus, omnes perivimus.

13. quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. num usque ad interfectionem cuncti delendi sumus?

14. Dixitque Dominus ad Aaron: Tu, & filij tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatem Sanctuarij: & tu & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri.

15. sed & fratres tuos de tribu Levi, & sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, & ministrent tibi: tu autem & filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij.

16. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat, ut ad vasa Sanctuarij & ad altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul.

17. sint autem tecum & excubent in custodiis tabernaculi, & in omnibus ceremoniis eius. Alienigena non miscabitur vobis.

18. Excubate in custodia Sanctuarij, & in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israël.

19. Ego dedi vobis fratres vestros Leyitas de medio filiorum Israël, & tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi eius.

20. Tu autem & filij tui custodite sacer-

dorium vestrum: & omnia quae ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur. si quis externus accesserit, occidetur.

8. Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quae sanctificantur a filiis Israël, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.

9. Haec ergo accipies de his, quae sanctificantur, & oblata sunt Domino. Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & dedit in Sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum.

10. In Sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi.

11. Primitias autem, quas voverint & obtulerint filij Israël, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis iure perpetuo. qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

12. Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quicquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.

13. Universa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

14. Omne quod ex voto reddiderint filij Israël, tuum erit.

15. Quicquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui iuris erit: ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal quod immundum est redimi factas.

16. cuius redemptio erit post unum mensem, siclis argenti quinque, pondere Sanctuarij. * Siclus viginti obolos habet.

17. Primogenitum autem bovis & ovis & caprae non facies redimi quia sanctificata sunt Domino. sanguinem tantum eorum fundes super altare, & adipēs adolebis in suavissimum odorem Domino.

18. Carnes verò in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt.

19. Omnes primitias Sanctuarij, quas offerunt filij Israël Domino, tibi dedi & filiis, ac filiabus tuis iure perpetuo. Partem salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.

20. Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & her-

reditas tua in medio filiorum Israël.
 21. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israël in possessionem pro ministerio quo servituri mihi in tabernaculo foederis.
 22. ut non accedant ultra filij Israël ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum.
 23. solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus, & portantibus peccata populi, legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt.
 24. decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum, & necessaria separavi.
 25. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens.
 26. Præcipe Levitis, atque denuncia: Cum accepertis a filiis Israël decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ.
 27. ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis, quam de torcularibus.
 28. & universis quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron sacerdoti.
 29. Omnia, quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt.
 30. Dicesque ad eos: Si præclara & meliora quæque obtuleritis, ex decimis, reputabitur vobis quasi de area & torculari dederitis primitias.
 31. & comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familie vestre: quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonij.
 32. Et non peccabitis super hoc, egregia vobis & pinguis reservantes ne polluatis oblationes filiorum Israël, & moriamini.

CAPUT XIX.

Ritus parandi aquam lustrationis traditur, ex cinere vaccæ rufæ fiebat aqua expiationis, quæ varie immunditiæ abluebantur: de moriente in tabernaculo, & vase non habente operculum, ac tangente cadaver hominis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens.
 2. Ista est religio victimæ, quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israël, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integre, in qua nulla sit macula, nec portaverit iugum:

Deut. 18.

3. tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui educatam extra castra, immolabit in conspectu omnium.
 4. & tingens digitum in sanguine eius, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus.
 5. combursetque eam cum cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius, quam sanguine & fimo flammæ traditis.
 6. Lignum quoque cedrinam, & hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.
 7. Et tunc demum, lotus vestibus & corpore super, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum.
 8. Sed & ille, qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua, & corpus, & immundus erit usque ad vesperum.
 9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam, & in aquam aspersoria: quia pro peccato vacca combusta est.
 10. Cumque laverit qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filij Israël & advena, qui habitant inter eos, sanctum iure perpetuo.
 11. Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus.
 12. aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.
 13. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commitione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israël: quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum.
 14. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus.
 15. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.
 16. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulchrum, immundus erit septem diebus.
 17. Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, & mittent aquas vivas super eos in vas.
 18. in quibus cum homo mundus in-

Hebr. 13.

An. 40. ab exitu, M. 2552. Ant. Chr. 1452. Quatuor mensibus ante Aaron & 11. ante Moysen. FER. 6. POST DOMINIC. 3. QUADR.

Exod. 17. 3.

xerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam suppellectilem, & homines huiuscemodi contagione pollutos.
 19. atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio & septimo die. expiatusque die septimo, lavabit & se & vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum.
 20. Si quis hoc ritum non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus.
 21. erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua: Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum.
 22. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

CAPUT XX.

Maria moritur: murmuranti populo aqua & petra sicut: Moyses & Aaron offendunt Deum ad aquas contradictionis: ideo privantur ingressu terre promissæ: negantque transitum Edom, discedunt ad montem Hor: ubi consecrato in summum sacerdotem Eleazaro, moritur Aaron pater ipsius.

1. Veneruntque filij Israël, & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo: & mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, & sepulta in eodem loco.
 2. Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen & Aaron.
 3. & versi in seditionem, dixerunt: Utinam perissemus inter fratres nostros coram Domino.
 4. Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos & nostra iumenta moriamur?
 5. Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec fenum gignit, nec vineas, nec malgranatâ, insuper & aquam non habet ad bibendum?
 6. Ingressusque Moyses & Aaron, dimissa multitudo, tabernaculum foederis, corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi.

7. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens.
 8. Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius.
 9. Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei.
 10. congregata multitudo ante petram, dixitque eis: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hæc vobis aquam poterimus ejicere?
 11. Cumque elevasset Moyses manum, pertuens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & iumenta.
 12. Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introduceris hos populos in terram, quam dabo eis.
 13. Hæc est aqua contradictionis, ubi iurgati sunt filij Israël contra Dominum, & sanctificatus est in eis.
 14. Misit interea nuncios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israël: Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos.
 15. quo modo descenderint patres nostri in Ægyptum, & habitaverimus ibi multo tempore, afflixeruntque nos Ægyptij, & patres nostros.
 16. & quomodo clamaverimus ad Dominum, & exaudivit nos, inseritque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi.
 17. obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, nec bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes: donec transeamus terminos tuos.
 18. Qui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurrat tibi.
 19. Dixeruntque filij Israël: Per tritam gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus.
 20. At ille respondit: Non transibis:

Exod. 17. 5. 6. Sap. 11. 4.

Psal. 77. 15. 20. 1. Cor. 10. 4.

Deut. 1. 37.

Statimque egressus est obvius, cum infinita multitudine, & manu forti, nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos quam ob rem divērit ab eo Israël.

22. Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terrae Edom: ubi locutus est Dominus ad Moysen.

24. Pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit Terram, quam dedi filiis Israël, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad Aquas contradictionis.

25. Tolle Aaron & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor.

26. Cumque nuda veris patrem vestes suas, indues ea Eleazarum filium eius: Aaron colligetur, & morietur ibi.

27. Fecit Moyses ut praeceperat Dominus: & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.

28. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum, filium eius.

29. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro.

30. Omnis autem multitudo videns oecebuisset Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

CAPUT. XXII.

Vincitur ab Israël rex Chananeus: serpens in populum ob itineris tedium, aquae penuriam, & manna nauseam murmurantem, immittuntur; quorum morsibus eresus serpens aeneus medetur: Sebon & Og reges vincuntur.

1. Quod cum audisset Chananeus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israël per exploratorum viam, pugnavit contra illum, & victor existens, duxit ex eo predam.

2. At Israël voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes eius.

3. Exaudivitque Dominus preces Israël, & tradidit Chananeum, quem ille interfecit subversis urbibus eius: & vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema.

4. Profecti sunt autem & de monte Hor, per viam, quae ducit ad Mare rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cepit populum itineris ac laboris:

Infr. 33. Deut. 32. 30. Eodem anno, sed mense 5.

Eodem ann. 2552. Infr. 33. 40.

locutusque contra Deum & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Aegypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquae: anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo.

6. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo.

8. & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem aeneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.

9. Fecit ergo Moyses serpentem aeneum, & posuit eum pro signo: quem cum percussus aspicerent, sanabantur.

10. Profectique filij Israël castrametati sunt in Oboth.

11. Unde egressi fixere tentoria in Ienbarim in solitudine, quae respicit Moab contra orientalem plagam.

12. Et inde moventes, venerunt ad Torrentem Zared.

13. Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quae est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi.

14. Unde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in Mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.

15. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.

16. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, & dabo ei aquam.

17. Tunc cecinit Israël carmen istud: Ascendat puteus, Concinebant.

18. Puteus, quem foderunt principes, & paraverunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis. De solitudine, Mathana.

19. De Mathana in Nahaliel: de Nahaliel, in Bamoth.

20. De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum.

21. Misit autem Israël nuncios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens:

22. Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.

23. Qui

Judith 8. 25. Sap. 16. 5. 1. Cor. 10. 9.

Joan. 3. 14.

Deut. 2. 20. Anno M. 2552. Judic. 11. 18. Deut. 2. 24.

Deut. 2. 26. Judic. 11. 19.

23. Qui concedere noluit ut transiret Israël per fines suos: quin potius exercitu congregato, egressus est obviam in desertum, & venit in Iasa, pugnavitque contra eum.

Pr. 134. 11. Amos 2. 9.

24. A quo percussus est in ore gladij, & possessa est terra eius ab Arnon usque Ieboc, & filios Ammon: quia forti praesidio tenebatur termini Ammonitarum.

25. Tulit ergo Israël omnes civitates eius, & habitabit in urbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, & viculis eius.

26. Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Mohab: & tulit omnem terram, quae ditionis illius fuerat, usque Arnon.

27. Idcirco dicitur in proverbio: Venite in Hesebon, adificetur, & construat civitas Sehon:

28. Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, & devoravit Ar Moabitarum; & habitatores excelsorum Arnon.

Judic. 11. 24. 3. Reg. 11. 7.

29. Vae tibi Moab, peristi, popule Chamos. Dedit filios eius in fugam, & filias in captivitatem regi Amorrhæorum Sehon.

30. Iugum ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon, lassi pervenerunt in Nophe, & usque Medaba.

31. Habitavit itaque Israël in Terra Amorrhæi.

32. Misitque Moyses qui explorarent Iazer: cuius ceperunt viculos, & possederunt habitatores.

Deut. 3. 3. 29. 7. Eodem anno 2553.

33. Verteruntque se, & ascenderunt per viam Basan, & occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnatus in Edrai.

34. Dixitque Dominus ad Moysen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram eius: faciesque illi sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebon:

35. Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, universumque populum eius usque ad internecionem, & possederunt terram illius.

CAPUT XXII.

Bis vocatur Balaam ariolus à Balac rege Moab, ut Israëlitis malediceret; quem Angelus, asinā loquente, corripit.

Anno M. 2553. Ant. Chr. 1451.

1. Profectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans

Jordanem Jericho sita est.

2. Videns autem Balac filius Sefhor omnia quae fecerat Amorrhæo, & quod pertinuissent eum Moabitae, & impetum eius ferre non possent,

4. dixit ad maiores natu Madian: Ita debet hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab.

5. Misit ergo nuncios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terrae filiorum Ammon, ut vocarent eum; & dicerent: Ecce egressus est populus ex Aegypto, qui operuit superficiem terrae, sedens contra me.

6. Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est: si quo modo possim percutere & ejicere eum de terra mea: novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congresseris.

7. Perrexeruntque seniores Moab, & maiores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam, & narraissent ei omnia verba Balac:

8. Ille respondit: Manete hic nocte, & respondebo: quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum:

9. Quid sibi volunt homines isti apud te? Respondit: Balac filius Sefhor, rex Moabitarum misit ad me, dicens:

10. dicens: Ecce populus, qui egressus est de Aegypto, operuit superficiem terrae: veni, & maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum.

11. Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus est.

12. Qui mane consurgens dixit ad principes: ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum.

13. Reversi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum.

14. Rursum ille multo plures & nobiliores quam ante miserat, misit.

15. Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balac filius Sefhor: Ne cuncteris venire ad me:

16. paratus sum honorare te, & quidquid volueris, dabo tibi: veni, & maledic populo isti.

17. Respondit Balaam: Si dederit mihi Balac plenam domum suam: argenti &

Jos. 24. 9.

Ephraem. Joseph Artig. 4. c. 4. Conf. cum c. 23. 7. infra, & Deut. 23. 4.

Infr. 24. 13.

auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar.

19. Obsecro ut hinc maneatis etiam hac nocte, & scire queam quid mihi rursus respondeat Dominus.

20. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge, & vade cum eis: ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias.

21. Surrexit Balaam manè, & stratâ asinâ suâ profectus est cum eis.

* 2. Petr. 2.

15.

22. * Et iratus est Deus. Stetitque angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum.

23. Cernens asina angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, & ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere,

24. stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur.

25. Quem videns asina, iunxit se patrieti, & attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam:

26. & nihilominus angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit.

27. Cumque vidisset asina stantem angelum, conchidit sub pedibus sedentis, qui iratus, vehementius cædebat fuste latera eius.

28. Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percussit me? ecce iam tertio?

29. Respondit Balaam: Quia commeruisti, & illusisti mihi: utinam haberem gladium, ut te percuterem.

30. Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? dic quid simile umquam fecerim tibi. At ille ait: Numquam.

31. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.

32. Cui angelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihi que contraria:

33. & nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidisset, & illa viveret.

34. Dixit Balaam: Peccavi, nesciens

quòd tu stares contra me: & nunc si displiceat tibi, ut vadam, revertar.

35. Ait angelus: Vade cum istis, & cave ne aliud quàm præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus.

36. Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum eius in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon.

37. Dixitque ad Balaam: Misi nuncios ut vocarem te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem adventui tuo redere nequeo?

38. Cui ille respondit: Ecce adsum: numquid loqui poteris aliquid, nisi quod Deus posuerit in ore meo?

39. Perrexerunt ergo simul, & venerunt in urbem, quæ in extremis regni eius finibus erat.

40. Cumque occidisset Balac boves, & oves, misit ad Balaam, & principes qui cum eo erant, munera.

41. Manè autem factus duxit eum ad excelsa Baal, & intuitus est extremam partem populi.

CAPUT XXIII.

Balaam, extructis aris, parat se ad maledicendum Hebræis, sed loco maledictionis benedicit semel ac iterum populum Israël, multa de illo vaticinatus.

1. Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos, eiusdemque numeri arietes.

2. Cumque fecisset iuxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum & arietem super aram.

3. Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus, & quodcumque imperaverit, loquar tibi.

4. Cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, & imposui vitulum & arietem desuper.

5. Dominus autem posuit verbum in ore eius, & ait: Revertere ad Balac, & hæc loqueris.

6. Reversus invenit stantem Balac iuxta holocaustum suum, & omnes principes Moabitarum:

7. assumptaque parabola suâ, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, &

maledic Jacob, propera, & detestare Israël.

8. Quo modo maledicam, cui non maledixit Deus? Quia ratione detester, quem Dominus non detestatur?

9. De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur.

10. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, & nosse numerum stirpis Israël? Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant novissima mea horum similia.

11. Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod agis? Ut malediceres inimicis meis vocavi te: & tu e contrario benedixisti eis.

12. Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus?

13. Dixit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum unde partem Israël videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei.

14. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga, ædificavit Balaam septem aras, & impositis supra vitulo atque ariete,

15. dixit ad Balac: Sta hic iuxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam.

16. Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore eius, ait: Revertere ad Balac, & hæc loqueris ei.

17. Reversus invenit eum stantem iuxta holocaustum suum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus?

18. At ille assumptâ parabola suâ, ait: Sta Balac, & ausculta, audi, fili Sèphor:

19. Non est Deus quasi homo, ut mentiar: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?

20. Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo.

21. Non est idolum in Jacob, nec videtur simulachrum in Israël. Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ regis in illo.

* Infr. 24.

8.

22. * Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis.

23. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israël. Temporibus suis dicetur Jacob & Israël quid operatus sit Deus.

24. Ecce populus ut leena consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit donec devoret prædam, & occisorum sanguinem bibat.

25. Dixitque Balac ad Balaam: Neo maledicaris ei, nec benedixaris.

26. Et ille ait: Nonne dixi tibi quòd quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?

27. Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: si forte placeat Deo ut inde maledicaris eis.

28. Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem,

29. dixit ei Balaam: Ædifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos, eiusdemque numeri arietes.

30. Fecit Balac, ut Balaam dixerat: impositisque vitulos, & arietes per singulas aras.

CAPUT XXIV.

Balaam tertio benedicit, & prospera vaticinatur de Israël, & de Christo: item de Amalecitis, Caneis, & Romanis vastandis ac perdendis.

1. Cumque vidisset Balaam quòd placeret Domino ut benediceret Israël, nequaquam abiit ut ante perrexerat, ut augurium quereret: sed dirigens contra desertum vultum suum,

2. & elevans oculos, vidit Israël in tentoriis commorantem per tribus suas: & irruente in se spiritu Dei,

3. assumptâ parabola, ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cecidit, & sic aperiuntur oculi eius:

4. Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua, Israël!

5. ut valles nemorosæ, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.

6. Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas. Tolle tur propter Agag, rex eius, & auferetur regnum illius.

7. Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis.

8. Accubans dormivit ut leo, & quasi leena, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.

10. Ira-

NUMERI.

10. Iratusque Balac contra Balaam, complois manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus e contrario tertio benedixisti:
 11. revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito.
 12. Respondit Balaam ad Balac: Nonne nunciis tuis, quos misisti ad me, dixi:
 *Sup. 22. 18. 13. * Si dederit mihi Balac plenam donum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar?
 14. Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.
 15. Sumptim igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus:
 -16. dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, & visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos.
 17. Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non propè. * ORIETUR STELLA ex Jacob, & consurgit virga de Israël: & percurret duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.
 18. Et erit Idumæa possessio eius: hereditas Seir cedet inimicis suis: Israël vero fortiter aget.
 19. De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis.
 20. Cùmque vidisset Amalec, assumens parabola, ait: Principium Gentium Amalec, cuius extrema perdetur.
 21. Vidit quoque Cinæum: * & assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum,
 * i. Iethronis familiam, V. Judic. 1. 16. 22. & fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim accipiet te.
 23. Assumptaque parabola iterum locutus est: Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus?
 * Dan. 11. 30. 24. * Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebraeos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.
 25. Surrexitque Balaam, & reversus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat, recessit.

* Matth. 2. 4.

* i. Iethronis familiam, V. Judic. 1. 16.

* Dan. 11. 30.

C A P U T XXV. Ob fornicationem Israël cum Moabitibus, &

Madianitis iubet Deus principes suspendi, & pereunt e plebe 24. millia: ipitque Phinees dat pro mercede perpetuum sacerdotium, eo quod divino zelo Zambri & Cozbi pugione confodisset.

1. **M**Orabatur * autem eo tempore Israël in Settîm †, & fornicatus est populus cum filiabus Moab,
 2. quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt deos earum.
 3. * Initiatusque est Israël Beelphegor: & iratus Dominus,
 4. ait ad Moysen: * Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis: ut avertatur furor meus ab Israël.
 5. Dixitque Moyses ad Iudices Israël: * Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.
 6. Et ecce unus de filiis Israël intravit coram fratribus suis ad sortum Madianitidem videntem Moysen, & omni turba filiorum Israël, qui stebant ante fores tabernaculi.
 7. * Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione,
 8. ingressus est post virum Israëlitem in lupakan, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israël:
 9. & occisi sunt viginti quatuor millia hominum.
 10. Dixitque Dominus ad Moysen:
 11. Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israël: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israël in zelo meo.
 12. idcirco loquere ad eum: * Ecce do ei pacem fœderis mei,
 13. & erit tam ipsi quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israël.
 14. Erat autem nomen viri Israëlita, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & tribu Simeonis.
 15. Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum.
 16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

* Anno M. 2553. Ant. Chr. 1451.

† Ubi permanserunt donec sub Issue profecti Jordanem transierunt. Ioseph 3. 1. * Ios. 22. 17. Psal. 105. 28.

* Apoc. 2. 14. * Deut. 4. 3. * Exod. 32. 27.

* Psal. 105. 39. 1. Mach. 2. 25. 1. Cor. 10. 8.

* Eccl. 45. 30. 1. Mach. 2. 54.

NUMERI.

* Infr. 31. 2.

17. * Hostes vos sentiant Madianita, & percuteite eos:
 18. quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidiis per idolum Phogor, & Cozbi filiam iudicis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagræ pro sacrilegio Phogor.

CAPUT XXVI.

Numerantur Israëlita per singulas tribus, qui bello apti, sunt terram promissionis ingressuri: & iuxta hanc dinumerationem iubetur illis terra dividi.

1. **P**ostquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen & Eleazarum filium Aaron sacerdotem:
 2. * Numerate omnem summam filiorum Israël a viginti annis & supra, per domos & cognationes suas, cunctos, qui possunt ad bella procedere.
 3. Locuti sunt itaque Moyses & Eleazar sacerdos, in campestribus Moab super Jordanem contra Iericho, ad eos, qui erant
 4. a viginti annis & supra, sicut Dominus imperaverat, quorum iste est numerus:
 5. Ruben primogenitus Israël. * huius filius, Henoch, a quo familia Henochitarum: & Phallu, a quo familia Phalluitarum:
 6. & Heson, a quo familia Hesonitarum: & Charmi, a quo familia Charmitarum.
 7. hæ sunt familiae de stirpe Ruben: quarum numerus inventus est quadraginta tria millia, & septingenti triginta.
 8. Filius Phallu, Eliab.
 9. huius filij, Namuel & Dathan & Abiron. isti sunt Dathan & Abiron principes populi, * qui surrexerunt contra Moysen & Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt.
 10. & aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros, Et factum est grande miraculum,
 11. ut, Core pereunte, filij illius non perierent.
 12. Filij Simeon per cognationes suas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Jamin, ab hoc familia Jaminitarum: Iachin, ab hoc familia Iachinitarum:
 13. Zare, ab hoc familia Zareitarum: Saül, ab hoc familia Saülitarum.

Eodem ann. 2553.

* Sup. 1. 2. & 3.

* Gen. 46. 9. Exod. 6. 14. 1. Par. 5. 3.

* Sup. 16. 1. & 2.

14. hæ sunt familiae de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit viginti duo millia ducenti.
 15. Filij Gad per cognationes suas: Saphon, ab hoc familia Saphonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni, ab hoc familia Sunitarum:
 16. Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum:
 17. Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariël, ab hoc familia Ariëllitarum.
 18. istæ sunt familiae Gad, quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingenti.
 19. * Filij Iuda, Her, & Onan, qui ambo mortui sunt in Terra Chanaan.
 20. Fueruntque filij Iuda, per cognationes suas: Sela, a quo familia Selaitarum: Phares, a quo familia Pharesitarum: Zare, a quo familia Zareitarum.
 21. Porrò filij Phares: Heson, a quo familia Hesonitarum: & Hamul, a quo familia Hamulitarum.
 22. Istæ sunt familiae Iuda, quarum omnis numerus fuit septuaginta sex millia quingenti.
 23. Filij Issachar, per cognationes suas: Thola, a quo familia Tholaitarum: Phua, a quo familia Phuitarum:
 24. Iasub, a quo familia Iasubitarum: Semran, a quo familia Semranitarum.
 25. hæ sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit sexaginta quatuor millia trecenti.
 26. Filij Zabulon per cognationes suas: Sared, a quo familia Sareditarum: Elon, a quo familia Elonitarum: Ialel, a quo familia Ialelitarum.
 27. hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit sexaginta millia quingenti.
 28. Filij Ioseph per cognationes suas: Manasse, & Ephraim.
 29. De Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum. * Machir genuit Galaad, a quo familia Galaaditarum.
 30. Galaad habuit filios: Iezer, a quo familia Iezeritarum: & Helec, a quo familia Heleçitarum:
 31. & Asriël, a quo familia Asriëllitarum: & Sechem, a quo familia Sechemitarum:
 32. & Semida, a quo familia Semidaitarum: * & Hephher, a quo familia Hephheritarum.
 33. Fuit autem Hephher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias, quarum ista sunt nomina: * Maala, & * Ibidem.
 N Noa,

* Gen. 38. 3. & 4.

* Ios. 17. 1.

* Infr. 27. 1.

Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa.
34. hæ sunt familiae Manasse, & numerus earum quinquaginta duo millia septingenti.

35. Filij autem Ephraim per cognationes suas, fuerunt hi: Suthala, a quo familia Suthalaitarum: Becher, a quo familia Becheritarum: Thehen, a quo familia Thehenitarum.

36. porro filius Suthala fuit Heran, a quo familia Heranitarum.

37. hæ sunt cognationes filiorum Ephraim: quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti.

38. Isti sunt filij Iosephi per familias suas: Filij Benjamin in cognationibus suis: Bela, a quo familia Belaitarum: Asbel, a quo familia Ashelitarum: Ahiram, a quo familia Ahiramitarum:

39. Supham, a quo familia Suphamitarum: Hupham, a quo familia Huphamitarum.

40. Filij Bela: Hered, & Noëman. De Hered, familia Hereditarum: de Noëman, familia Noëmanitarum.

41. hi sunt filij Benjamin per cognationes suas: quorum numerus fuit quadraginta quinque millia sexcenti.

42. Filij Dan per cognationes suas: Suhama, a quo familia Suhamitarum: hæ sunt cognationes Dan per familias suas.

43. omnes fuere Suhamite, quorum numerus erat sexaginta quatuor millia quadringenti.

44. Filij Aser per cognationes suas: Iemna, a quo familia Iemnaitarum: Iessui, a quo familia Iessuitarum: Brie, a quo familia Briearum.

45. Filij Brie: Heber, a quo familia Heberitarum: & Melchiel, a quo familia Melchielitarum.

46. Nomen autem filiae Aser, fuit Sara.

47. hæ cognationes filiorum Aser, & numerus eorum quinquaginta tria millia quadringenti.

48. Filij Nephthali per cognationes suas: Iesiel, a quo familia Iesielitarum: Guni, a quo familia Gunitarum:

49. Ieser, a quo familia Ieseritarum: Sellem, a quo familia Sellemitarum.

50. hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas: quorum numerus quadraginta quinque millia quadringenti.

51. Ista est summa filiorum Israël, qui recensiti sunt, sexcenta millia, & mille septingenti triginta.

52. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

53. Istis dividetur terra iuxta numerum vocabulorum in possessiones suas.

54. Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem: singulis sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio:

55. ita dumtaxat ut sors Terram tribubus dividat & familiis.

56. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.

57. * Hic quoque est numerus, filiorum Levi per familias suas: Gerson, a quo familia Gersonitarum: Caath, a quo familia Caathitarum: Merari, a quo familia Meraritarum.

58. hæ sunt familiae Levi: Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At verò Caath genuit Amram:

59. qui habuit uxorem Iochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto: hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron, & Moysen, & Mariam sororem eorum:

60. De Aaron orti sunt Nadab & Abiu, & Eleazar & Ithamar:

61. * quorum Nadab & Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Domino.

62. Fueruntque omnes, qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini ab uno mense & supra: quia non sunt recensiti inter filios Israël, nec eis cum cæteris data possessio est.

63. Hic est numerus filiorum Israël, qui descripti sunt a Moysè & Eleazaro sacerdote, in caestribus Moab supra Iordanem contra Iericho.

64. * inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt a Moysè & Aaron in deserto Sinai.

65. * Prædixerat enim Dominus quòd omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Iephone, & Iosué filius Nun.

CAPUT XXVIII.

Filie Salphaad, deficiente prole mascula, patri succedunt in hereditatem: dixitque Dominus Moysen moriturum, ubi ex monte Abarim terram promissionis conspexerit, sibique in ducatu populi substituerit Iosué.

1. **A** Ccesserunt * autem filie Salphaad, filij Hepher, filij Galaad, filij Machir, filij Manasse, qui fuit filius Ioseph.

Eodem ann. 2553. * Sup. 26. 32. & 33. * Inf. 36. 1. Ios. 17. 1.

seph: quarum sunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa.

2. Steteruntque coram Moysè & Eleazaro sacerdote, & cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt:

3. Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ * concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri.

4. Retulitque Moyses causam earum ad iudicium Domini.

5. Qui dixit ad eum: 6. Iustam rem postulant filie Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hereditatem succedant.

7. Ad filios autem Israël loqueris hæc: 8. Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hereditas,

9. si filium non habuerit, habebit successores fratres suos.

10. quòd si & fratres non fuerint, dabitur hereditatem fratribus patris eius:

11. sin autem nec patruos habuerit, dabitur hereditas his, qui ei proximi sunt.

12. Dixit * quoque Dominus ad Moysen: * Ascende in montem istum Abarim, & contemplantur inde Terram, quam daturus sum filiis Israël.

13. cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron:

14. * quia offendisti me in deserto. Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas: hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin.

15. Cui respondit Moyses: 16. Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc:

17. & possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.

18. Dixitque Dominus ad eum: * Tolle Iosué filium Nun virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum.

19. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote & omni multitudine:

20. & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israël.

21. Pro hoc, siquid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat Dominum. Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse, & omnes filij Israël cum eo, & cætera multitudo.

22. Fecit Moyses ut præceperat Dominus. Cùmque tulisset Iosué, statuit eum coram Eleazaro sacerdote & omni frequentia populi.

23. Et impositis capiti eius manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.

CAPUT XXVIII.

Sacrificia quotidiana, & diei septimi, ac calendarum, & de duabus solemnitatibus Azymorum, & Hebdomadarum.

1. **D**ixit quoque Dominus ad Moysen: 2. Præcipe filiis Israël, & dices ad eos: Oblationem meam & panes, & incensum odoris suavissimi offerite per tempora sua.

3. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: * Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum:

4. unum offeretis mane, & alterum ad vesperum:

5. decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartam partem hin.

6. holocaustum iuge est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini.

7. & libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in Sanctuario Domini.

8. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritum sacrificij matutini, & libamentorum eius, oblationem suavissimi odoris Domini.

9. * Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo consperse in sacrificio, & liba solutivæ.

10. quæ ritè funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum.

11. In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos,

12. & tres decimas similæ oleo consperse in sacrificio per singulos vitulos: & duas decimas similæ oleo consperse per singulos arietes:

13. & decimam decimæ similæ ex oleo

* Exod. 29. 38.

* Matth. 22. 5.

CAPUT XXIX.

Solemnitates mensis septimi, & quid in eis offerendum sit: nempe solemnitas tubarum, expiationis, tabernaculorum, quae octo diebus varias habent oblationes.

in sacrificio pro agnos singulos. holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino.

14. Libamenta autem vini, quae per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: Media pars bin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt.

15. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.

* Exod. 12. 18.

Lev. 23. 5.

16. * Mense autem primo, quartadecima die mensis Phase Domini erit,

17. & quintadecima die solemnitas: septem diebus vascetur azymis.

18. Quarum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea.

19. Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

20. & sacrificia singulorum ex simila, quae conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem,

21. & decimam decimam pro agnos singulos, id est, per septem agnos.

22. Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis,

23. praeter holocaustum matutinum quod semper offeretis.

24. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, & de libationibus singulorum.

25. Dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo.

26. Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea.

27. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem:

28. atque in sacrificiis eorum, simile oleo conspersa tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas,

29. per agnos decimam decimam, qui simul sunt agni septem. hircum quoque

30. qui mactatur pro expiatione: praeter holocaustum sempiternum & liba eius.

31. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

1. Mensis etiam septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis. omne opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris est & tubarum.

2. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem:

3. & in sacrificiis eorum, simila oleo conspersa tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,

4. unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem:

5. & hircum pro peccato, qui offeretur in expiationem populi,

6. praeter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. eisdem caeremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino.

7. * Decima quoque dies mensis huius septimi erit vobis sancta atque venerabilis, & affligetis animas vestras: omne opus servile non facietis in ea.

8. Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

9. & in sacrificiis eorum simila oleo conspersa tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,

10. decimam decimam per agnos singulos, qui sunt simul agni septem:

11. & hircum pro peccato, absque his quae offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum, cum sacrificio & libaminibus eorum.

12. Quintadecima vero die mensis septimi, quae vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus.

13. offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

14. & in libamentis eorum, simila oleo conspersa tres decimas per vitulos singulos, qui simul sunt vituli tredecim, & duas decimas arietum unum, id est, simul arietibus duobus,

15. &

15. & decimam decimam agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim:

16. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, & sacrificio, & libamine eius.

17. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

18. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

19. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque & libamine eius.

20. Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

21. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

22. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque & libamine eius.

23. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

24. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

25. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine.

26. Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

27. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

28. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine.

29. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

30. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

31. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine.

32. Die septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

33. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

34. & hircum pro peccato, absque hoc

locausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine.

35. Die octavo, qui est celeberrimus omne opus servile non facietis,

36. offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

37. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

38. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine.

39. Haec offeretis Domino in solemnitatibus vestris: praeter vota & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, & in hostiis pacificis.

CAPUT XXX.

De voto ac iuramento virorum, & quando puellarum & uxorum vota seu iuramenta rata sint, vel irrita.

1. Narravitque Moyses filiis Israel omnia quae ei Dominus imperarat:

2. & locutus est ad principes tribuum filiorum Israel: Iste est sermo quem praecipit Dominus:

3. Si quis virorum votum Domino venerit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.

4. Mulier: si quippiam vererit, & se constrinxerit iuramento, quae est in domo patris sui, & in aetate adhuc puellari: si cognoverit pater votum quod pollicita est, & iuramentum quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit:

5. quidquid pollicita est & iuravit, opere complebit.

6. sin autem statim ut audiverit, contradixerit pater: & vota & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponcioni, eo quod contradixerit pater.

7. Si maritum habuerit, & vererit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligaverit iuramento:

8. quo die audiverit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat.

9. sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus obstrinxerat animam suam propitius erit ei Dominus.

10. Vidua & repudiata quidquid voverint, reddent.

11. Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit & iuramento,

12. si audierit vir, & tacuerit, nec contraxerit sponsionem, reddet quodcumque promiserat.

13. sin autem exemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit.

14. Si voverit, & iuramento se constrinxerit, ut per ieiunium, vel ceterarum rerum abstinenciam, affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat.

15. quod si audiens vir, tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quidquid voverat atque promiserat, reddet: quia statim ut audivit, tacuit.

16. sin autem contradixerit, postquam rescivit, portavit ipse iniquitatem eius.

17. Istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi inter virum & uxorem, inter patrem & filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo.

CAPUT XXXI.

Casus Madianitis iussu Dei, virgines solæ reservantur: substantia ex æquo dividitur pugnantibus & plebi, primitiæ Sacerdoti ac Levitis traduntur, gratiæ Deo cum donariis offeruntur, quod nullus Hebraeorum occubuit.

Ann. M. 2553.
Ant. Chr. 1461.

* Sup. 25.
17.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Ulciscere prius filios Israël de Madianitis, & sic colligèris ad populum tuum.

3. Statimque Moyses, Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis.

4. mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israël qui mittantur ad bellum.

5. Dederuntque milenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam:

6. quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.

7. Cùmque pugnant contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt,

* Iosue 13.
21.

8. * & reges eorum, Evi, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.

9. Ceperuntque mulieres eorum, & parvulos, omniaque pecora, & cunctam suppellectilem: quidquid habere potuerant depopulati sunt:

10. tam urbes quam viculos & castella flamma consumpsit.

11. Et tulerunt prædam, & universa quæ ceperant tam ex hominibus quam ex iumentis,

12. & adduxerunt ad Moysen, & Eleazarum sacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Israël. reliqua autem utensilia portaverunt ad castra in campestribus Moab iuxta Iordanem contra Iericho.

13. Egressi sunt autem Moyses, & Eleazar sacerdos, & omnes principes synagogæ in occursum eorum extra castra.

14. Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis, & centurionibus qui venerant de bello,

15. ait: Cur feminas reservastis?

16. * Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam, & 18. prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, unde & percussus est populus?

17. * Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis: & mulieres, quæ noverunt viros in coitu, iugulate:

18. puellas autem & omnes feminas virgines reservate vobis:

19. & manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio & septimo.

20. Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, & aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, & pills, & ligno, expiabitur.

21. Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus, qui pugnaverant, sic locutus est: Hoc est præceptum legis, * quod mandavit Dominus Moysi:

22. Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum,

23. & omne, quod potest transire per flammam, igne purgabitur. quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur.

24. & lavabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis.

25. Dixit quoque Dominus ad Moysen:

26. Tollite summam eorum, quæ capta sunt ab homine usque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos & principes vulgi:

27. dividesque ex æquo prædam inter eos, qui pugnaverunt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem.

28. & separabis partem Domino ab his, qui pugnaverunt & fuerunt in bello, unam animam de quingentis tam ex hominibus quam ex bobus & asinis & ovibus,

29. & dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt.

30. Ex media quoque parte filiorum Israël accipies quinquagesimum caput hominum, & boum, & asinorum, & ovium, cunctorum animantium, & dabis ea Levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini.

31. Feceruntque Moyses, & Eleazar, sicut præceperat Dominus,

32. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia,

33. boum septuaginta duo millia,

34. asinorum sexaginta millia & mille:

35. animæ hominum sexus feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia.

36. Dataque est media pars his, qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta septem millia quingente:

37. e quibus in partem Domini supplicate sunt oves sexcenta septuaginta quinque.

38. Et de bobus triginta sex millibus, boves septuaginta & duo:

39. de asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus:

40. de animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ.

41. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum,

42. tulit Moyses quinquagesimum caput separaverat his, qui in prælio fuerant.

43. De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis,

44. & de bobus triginta sex millibus,

45. & de asinis triginta millibus quingentis,

46. & de hominibus sedecim millibus,

47. tulit Moyses quinquagesimum caput, & dedit Levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus.

48. Cùmque accessissent principes exercitus ad Moysen, & tribuni, centurionesque dixerunt:

49. Nos servi tui recensuimus numerum pugnantium, quos habuimus sub manu nostra: & ne unus quidem defuit.

50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri potuimus invenire, perisclides & armillas, annulos & dextralia, ac muranulas, ut depreceris pro nobis Dominum.

51. Susceperuntque Moyses, & Eleazar sacerdos omne aurum in diversis speciebus,

52. pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos a tribunis & centurionibus.

53. Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat.

54. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonij, in monumentum filiorum Israël coram Domino.

CAPUT XXXII.

Filiis Ruben & Gad, & dimidia tribui Manasse, quod pecoribus abundarent, portio datur trans Jordanem, modo fratres suos in terram promissionis armati præcedant.

1. Filii autem Ruben & Gad habebant pecora multa, & erat illis in iumentis infinita substantia. Cùmque vidissent Iazer, & Galaad aptas animalibus alendis terras,

2. venerunt ad Moysen, & ad Eleazarum sacerdotem, & principes multitudinis, atque dixerunt:

3. Ataroth, & Dibon, & Iazer, & Nemra, Hesebon, & Eleale, & Saban, & Nebo, & Beon,

4. terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israël, regio uberrima est ad pastum animalium: & nos servi tui habemus iumenta plurima:

5. precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem.

6. Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis?

7. Cur subvertitis mentes filiorum Israël, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus?

8. nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam Terram?

Deut. 3. 12.

Eodem
an. 2553.
Ant. Chr.
1461.

* Sup. 13. 24.

9. * Cùmque venissent usque ad Vallem botri, lustrata omni regione, subvertent cor filiorum Israël, ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit.

* Sup. 14. 29.

10. * Qui iratus iuravit, dicens: 11. Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto a viginti annis & supra, Terram, quam sub iuramento pollicitus sum Abraham, Isaac, & Iacob: & noluerunt sequi me,

12. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, & Iosué filio Nun: isti impleverunt voluntatem meam.

13. Iratusque Dominus adversum Israël, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, * donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu eius.

* Ab Exodo ipso numerandis: cum constet filios eorum post annos 38. à missione de Cades-barne, terram promissionis ingressos.

14. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa, & alumni hominum peccatorum, ut augetis furor Domini contra Israël.

15. Quid si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, & vos causa eritis necis omnium.

Confer cum Deut. 2. 14.

16. At illi prope accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, & stabula iumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas:

17. nos autem ipsi armati & accingi pergemus ad prælium ante filios Israël, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri, & quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias.

18. Non revertetur in domos nostras, usque dum possideant filij Israël hereditatem suam:

19. nec quidquam queremus trans Jordanem, quia iam habemus nostram possessionem in orientali eius plaga.

* Ios. 1. 14.

20. Quibus Moyses ait: * Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam:

21. & omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos,

22. & subjiciatur ei omnis Terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum & apud Israël, & obtinebitis regiones, quas vultis coram Domino.

23. Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est. quin peccetis in Deum: & scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.

24. Edificate ergo urbes parvulis vestris, & caulas & stabula ovibus ac iu-

mentis: & quod polliciti estis implete.

25. * Dixeruntque filij Gad & Ruben * Ios. 12. 12. Servii tui sumus, faciemus quod iubet dominus noster.

26. Parvulos nostros, & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in urbibus Galaad:

27. nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu domine, loqueris.

28. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, & Iosué filio Nun, & principibus familiarum per tribus Israël, & dixit ad eos:

29. * Si transierit filij Gad, & filij Ruben vobiscum Iordanem omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit Terra subiecta: date eis Galaad in possessionem. * Deut. 3. 12. Iosue 13. 8. 22. 4

30. Sin autem noluerit transire armati vobiscum in Terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca.

31. Responderuntque filij Gad, & filij Ruben: Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus:

32. Ipsi armati pergemus coram Domino in Terram Chanaan, & possessionem iam suscepisse nos confitemur trans Jordanem.

33. * Dedit itaque Moyses filiis Gad & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse filij Ioseph, regnum Sehon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Basan, & terram eorum cum urbibus suis per circuitum. * Ios. 22. 4.

34. Igitur extruxerunt filij Gad, Dibon, & Ataroth, & Aroër, 35. & Etroth, & Sophan, & Iazer, & Iegbaa,

36. & Bethnemra, & Betharan, urbes munitas, & caulas pecoribus suis.

37. Filij vero Ruben edificaverunt Hesebon, & Eleale, & Cariathaim,

38. & Nabo, & Baalmeon, versis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus, quas extruxerant. * Gen. 50. 22.

39. * Porrò filij Machir, filij Manasse perrexerunt in Galaad, & vastaverunt eam interfecto Amorrhæo habitatore eius.

40. Dedit ergo Moyses Terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea.

41. Iair autem filius Manasse abiit, & occupavit vicus eius, quos appellavit Havoth Iair, id est Villas Iair.

42. Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo, Nobe. CA-

CAPUT XXXIII.

Mansionibus 42. filiorum Israël per varia loca in deserto recensitis, Chananæi à Domino iubentur interim.

1. **H**Æ sunt mansiones filiorum Israël, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas, in manu Moysi & Aaron,

2. quas descripsit Moyses iuxta castrorum loca, quæ Domini iussione mutabant.

3. Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die Phase, filij Israël in manu excelsa, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam & in diis eorum exercuerat ultionem)

4. castrametati sunt in Soccoth. 5. Et de Soccoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis.

* Exod. 14. 2.

6. * Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, & castrametati sunt ante Magdalu.

7. Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: & ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara.

* Exod. 15. 22. 23.

8. * Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & palme septuaginta: ibique castrametati sunt.

* Exod. 15. 27.

9. * Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & palme septuaginta: ibique castrametati sunt.

10. Sed & inde egressi, fixerunt tentoria super Mare rubrum. Profectique de Mari rubro, castrametati sunt in deserto Sin.

11. Unde egressi, venerunt in Daphea. 12. Profectique de Daphea, castrametati sunt in Alus.

* Exod. 17. 1. 2.

13. Egressique de Alus, in Raphidim fixere tentoria, * ubi populo defuit aqua ad bibendum.

14. Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinaï.

* Exod. 19. 2.

15. Sed & de solitudine * Sinaï egressi, venerunt ad sepulchra concupiscentiæ.

* Sup. 11. 34.

16. * Profectique de sepulchris concupiscentiæ, castrametati sunt in Hase-roth.

* Sup. 13. 1.

17. * Et de Hase-roth venerunt in Rethma.

18. Profectique de Rethma, castrametati sunt in Remmophares.

19. Unde egressi, castrametati sunt in Lebna.

20. De Lebna castrametati sunt in Ressa.

21. Egressique de Ressa, venerunt in Ceelatha.

22. Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher.

23. Egressi de monte Sepher, venerunt in Harada.

24. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth.

25. Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath.

26. De Thahath, castrametati sunt in Thare.

27. Unde egressi, fixere tentoria in Methca.

28. Et de Methca, castrametati sunt in Hesmona.

29. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth.

30. Et de Moseroth, castrametati sunt in Beneiaacan.

31. * Profectique de Beneiaacan, venerunt in montem Gadgad.

32. Unde profecti, castrametati sunt in Ietebatha.

33. Et de Ietebatha, venerunt in Hebrona.

34. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber.

35. * Inde profecti, venerunt in deserto Sin, hæc est Cadès.

36. Egressique de Cadès, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus Terræ Edom.

37. Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor iubente Domino: & ibi mortuus est anno quadagesimo egressionis filiorum Israël ex Ægypto, * mense quinto, prima die mensis.

38. cum esset annorum centum viginti trium.

39. Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in Terram Chanaan venisse filios Israël.

40. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona.

41. Unde egressi, venerunt in Phunon.

42. Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth.

43. Et de Oboth venerunt in Ieabarim, quæ est in finibus Moabitarum.

44. Profectique de Ieabarim, fixere tentoria in Dibongad.

45. Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim.

46. Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.

47. Profectique de montibus Abarim, trans-

transierunt ad campestria Moab; supra Iordanem, contra Iericho.

49. Ibi que castrametati sunt de Bethimoth usque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum,

50. ubi locutus est Dominus ad Moysen *.

* Anno M. 2553.

51. Praecepit filiis Israël, & dicit ad eos: Quando transieritis Iordanem, intrantes Terram Chanaan,

52. disperdit euntes habitatores Terrae illius: * confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, 53. mundantes terram, & habitantes in ea. ego enim dedi vobis illam in possessionem,

* Deut. 7. Iudic. 2. 2.

54. quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitur latiore, & paucis angustior. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hereditas. Per tribus & familias possessio dividetur.

55. Sin autem nolueritis interficere habitatores Terrae: qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceae in lateribus, & adversabuntur vobis in Terra habitationis vestrae:

56. & quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

CAPUT XXXIV.

Terrae promissionis situs & limites, iuxta 4. orbis plagas; eaque sorte dividenda praecipitur, additis illorum nominibus qui eam dividant.

* Anno M. 2553. Ant. Chr. 1451.

1. Locutusque est Dominus * ad Moysen, dicens:

2. Praecepit filiis Israël, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis Terram Chanaan, & in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur:

* Tor. 15. 1.

3. * Pars meridiana incipit a solitudine Sin, quae est iuxta Edom: & habebit terminos contra Orientem mare salissimum.

4. qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, & perveniant a meridie usque ad Cadesbarna, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, & tendent usque ad Asemona.

5. ibique per gyrum terminus ab Asemona usque ad Torrentem Aegypti, & maris magni littore finietur.

6. Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet, & ipso fine claudetur.

7. Porro ad septentrionalem plagam a

mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum,

8. a quo venient in Emath usque ad terminos Sedada:

9. ibuntque confinia usque ad Zephrona, & villam Enan. hi erunt termini in parte Aquilonis.

10. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama,

11. & de Sephama descendunt termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde pervenient contra Orientem ad mare Cenereth,

12. & tendent usque ad Iordanem, & ad ultimum salissimo claudentur mari. Hanc habebitis Terram per fines suos in circuitu.

13. Praecipitque Moyses filiis Israël, dicens: Hæc erit Terra, quam possidebitis sorte, & quam iussit Dominus dari novem tribubus, & dimidiæ tribui.

14. Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, & tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse,

15. id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Iordanem contra Iericho ad orientalem plagam.

16. Et ait Dominus ad Moysen:

17. * Hæc sunt nomina virorum, qui Terram vobis dividunt, Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun,

* Tor. 14. 1. & 2.

18. & singuli principes de tribubus singulis,

19. quorum ista sunt vocabula: De tribu Iuda, Caleb filius Iephone.

20. De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud.

21. De tribu Benjamin, Elidad filius Chaselon.

22. De tribu filiorum Dan, Boccî filius Iogli.

23. Filiorum Ioseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod.

24. De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan.

25. De tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach.

26. De tribu Issachar, dux Phaltiel, filius Ozan.

27. De tribu Aser, Ahiud filius Salomi.

28. De tribu Nephthali, Phedaël filius Ammiud.

29. Hi sunt, quibus praecipit Dominus ut dividerent filiis Israël Terram Chanaan.

CAPUT XXXV.

Assignari iubentur urbes 48. & suburbana Levitis, & ex iis urbes 6. refugij pro homicidio non voluntario: lex homicidij voluntarij, & non voluntarij: unius testimonio, nemo puniendus.

Eodem anno. 2553.

1. Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen, in campestribus Moab supra Iordanem, contra Iericho:

* Tor. 21. 2.

2. * Praecepit filiis Israël ut dent Levitis de possessionibus suis

3. urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneat, & suburbana sint pecoribus ac iumentis:

4. quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur.

5. contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, & septentrionalis plaga aequali termino finietur. eruntque urbes in medio, & foris suburbana.

* Deut. 19. 2.

Tor. 20. 2.

* Quorum tria ab ipso Mose trans Iordanem designata sunt.

Deut. 4. 41.

6. * De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitur, sex * erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: & exceptis his, alia quadraginta duo oppida,

7. id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis.

8. Ipsæque urbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israël, ab his, qui plus habent, plures auferentur: & qui minus, pauciores. singuli iuxta mensuram hereditatis suæ dabunt oppida Levitis.

9. Ait Dominus ad Moysen:

10. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: * Quando transgressi fueritis Iordanem in Terram Chanaan,

* Deut. 19. 2.

Tor. 20. 2.

11. decernite quæ urbes esse debeant in praesidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint:

12. in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius iudicetur.

* Deut. 4. 41.

Tor. 20. 7.

Tor. 20. 2.

13. * De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur,

14. tres erunt trans Iordanem, & tres in Terra Chanaan,

15. tam filiis Israël quam advenis at-

que peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit.

16. Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est: reus erit homicidij, & ipse morietur.

17. Si lapidem iecerit, & ictus occuberit: similiter punietur.

18. Si ligno percussus interierit: percussoris sanguine vindicabitur.

19. Propinquus occisi, homicidam interficiet, statim ut apprehenderit eum, interficiet.

20. * Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit qui pliam in eum per insidias:

* Deut. 19. 11.

21. aut cum esset inimicus, manū percusserit, & ille mortuus fuerit: percussor, homicidij reus erit. cognatus occisi statim ut invenerit eum, fugulabitur.

22. Quod si fortuito, & absque odio,

23. & inimicitis, quidquam horum fecerit,

24. & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem & propinquum sanguinis quæstio ventilata:

25. liberabitur innocens de uloris manu, & reductur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur.

26. Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatae sunt,

27. fuerit inventus, & percussus ab eo qui ultor est sanguinis: absque noxa erit qui eum occiderit.

28. debuerat enim profugus usque ad mortem Pontificis in urbe residere. postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam.

29. Hæc sempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus vestris.

30. Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur.

31. Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur.

32. Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt:

33. ne polluatis terram habitationis vestrae, quæ insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit.

34. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum. ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israël.

CAPUT XXXVI.

Lex fertur, ut filie paternam hereditatem advenientes nubant contribulibus suis, ne tribus per connubia misceantur, & possessiones confundantur.

Sup. 27. 1. Accesserunt autem & principes familiarum Galaad filij Machir, filij Manasse de stirpe filiorum Ioseph locutique sunt Moysi coram principibus Israëli, atque dixerunt: 2. Tibi domino nostro præcepit Dominus ut Terram sorte divideres filiis Israëli, & ut filia Salphaad fratris nostri daret possessionem debitam patri: 3. quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum de nostra hereditate minuatur. 4. atque ita fiet, ut cum iubileus, id est, quinquagesimus annus remissionis advenierit, confundatur sortium distributio, & aliorum possessio ad alios transeat. 5. Respondit Moyses filiis Israëli, & Domino præcipiente, ait: Rectè tribus filiorum Ioseph locuta est.

6. & hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: * Nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus: 7. ne commisceatur possessio filiorum Israëli de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu, & cognatione sua: 8. & cunctæ feminae de eadem tribu maritos accipient: ut hereditas permaneat in familiis, non transibit ad aliam tribum. 9. nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut a Domino separate sunt. 10. ut a Domino separate sunt. 11. & nupserunt, Maala, & Thersa, & Hegla, & Melcha, & Noa, filiis patris sui, de familia Manasse, qui fuit filius Ioseph: & possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu, & familia patris earum. 12. Hæc sunt mandata, atque iudicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israëli, in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho.

Tob. 7. 14.

LIBER DEUTERONOMII,

HEBRAÏCE ELLE HADDEBARIM.

QUINTUS Moysis liber à Græcis DEUTERONOMIUM dicitur, à διευνομος, secundus; & quævis lex: quasi dicas secundam, seu secundariam legem. Non quod alia sit ab ea que in monte Sinai data est, sed quod denud repetita, coram filiis eorum qui post primam promulgationem perierant in deserto. Hebræi suo more à primis dictionibus; ELLEHADDEBARIM, id est hæc sunt verba, hunc librum inscripserunt. Incipit autem à brevi narratione rerum præteritarum: mox populum hortatur ad legis obsequium, quam diligenter repetit & explicat: deinde res gestas narrat ab initio undecimi mensis usque ad septimum diem mensis duodecimi anni illius, qui ab exitu quadragesimus est.

Atque hic ultimus Moysis liber PENTATEUCHUM absoluit, qui à quinque voluminibus seu partibus nomen habet: Vetus enim Græcis quinque, πέντες instrumentum & volumen, significat. Eosdem libros Hebræi proprie THORA, id est, legem appellant: Quamquam legis nomine etiam totum vetus instrumentum (ut videre est Ioan. 8. 17.) nonnumquam designetur. Continet autem Pentateuchus historiam annorum 2552. cum dimidio.

CAPUT PRIMUM.

Brevis repetitio eorum que Israëli in deserto contigerant: panaque infideli populo inflicta vel mortis, vel peregrinationis per 40. annos.

1. Hæc sunt verba, quæ locutus est Dominus ad omnem Israëli trans Iordanem in solitudine campestris,

contra Mare rubrum, inter Pharan, & Thophel, & Laban, & Haseroth, ubi auri est plurimum: 2. undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne. 3. Quadragesimo anno *, undecimo mense, primâ die mensis locutus est Moyses ad filios Israëli omnia, quæ præcepit illi Dominus, ut diceret eis:

* Ab exitu anno M. 2553. Ant. Chr. 1451.

4. post-

* Num. 21. 24.

4. * postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon: & Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, & in Edrai, 5. trans Iordanem in Terra Moab. Cæpitque Moyses explanare legem, & dicit: 6. Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis: 7. revertimini, & venite ad montem Amorrhæorum, & ad cetera quæ ei proxima sunt campestris atque montana, & humilliora loca contra Meridiem, & iuxta litus maris, Terram Chanaanæorum, & libani usque ad flumen magnum Euphraten. 8. En, inquit, tradidi vobis: ingredi mini & possidete eam, super qua iuravit Dominus patribus vestris Abraham, Isaac, & Jacob, ut daret illam eis, & semini eorum post eos. 9. Dixique vobis illo in tempore: 10. * Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi. 11. (Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis sicut locutus est.) 12. Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iurgia. 13. Date eis vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. 14. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. 15. Tulique de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula. 16. Præcepique eis, dicens: Audite illos, & * quod iustum est iudicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. 17. * Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referete ad me, & ego audiam. 18. Præcepique omnia quæ facere deberetis. 19. Profecti autem de Horeb, transivimus per erémum * terribilem & maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus

* Exod. 18. 28.

* Ioan. 7. 24.

* Lev. 19. 15. Infr. 16. Prov. 24. 23. Eccli. 42. 1.

1. Iacobi 2. 1.

* Pharan Num. 13. 1.

Deus noster nobis. Cùmque venissemus in Cadesbarne, 20. dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis. 21. Vide Terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende & posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quidquam paveas. 22. * Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros qui considerent Terram: & renuncient per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere civitates. 23. Cùmque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis. 24. Qui cùm perrexissent, & ascendissent in montana, venerunt usque ad Vallem botri: & considerata terra, 25. sumentes de fructibus eius, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. 26. Et nolulistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri. 27. murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de Terra Egypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. 28. Quod ascendemus? nuncij truerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, & nobis statura procerior: urbes magnæ, & ad cælum usque munitæ, filios Enacim vidimus ibi. 29. Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos: 30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Egypto cunctis videntibus. 31. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. 32. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, 33. * qui præcessit vos in via, & metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis. 34. Cùmque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus iuravit & ait: 35. * Non videbit quispiam de homini-

* Num. 13. 3. Num. 32. 8.

* Exod. 13. 21. Num. 14. 14.

* Num. 14. 23. Psal. 94. 11.